DE
ILLIS MORBIS CHIRURGICIS,
QUI ENDEMIE OBSERVANTUR, SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM

UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ATQUE

DIE XXVII. FEBRUARII ANNO MDCCCXLI

PUBLICE DEFENDET

AUGUSTUS IOEL,

REGIOMONTANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

GUIL. STENS, med. et chir. Cand.
S. FISCHEL, med. et chir. Dre.
ED. ENGELHARDT, med. et chir. Dre.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

CAR. GUIL. WUTZER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., INSTITUTI CLINICI CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI, NEC NON STUDII CHIRURGICI ET PHARMACEUTICI IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA DIRECTORI, ACADEMIAE REGIAE PARISIENSIS, SOCIETAT. MED. BEROLIN., HALENS., ERLANGENS., MOGUNT. ET MONAST. SOCIO, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO AC BENEVOLENTISSIMO

N E C   N O N

AVUNCULO DILECTISSIMO

S. I. IOEL

MERCATORI GEDANENSI

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Medicina et chirurgia uberem fontem rerum, quas observationibus accuratissimis debemus, ut fundamentum generale et pathologiae et therapiae hauriamus, eligere, ordinare, distinguere et componere debet, quia aliter veram scientiam nullo modo statuere possumus. Quarumvis rerum scientia et experientia et experimentis confirmanda, eo gravior et uberior erit, quo magis *facta* habemus, quae vera demonstrent. Omnino autem perinde est, utrum apud nos vel in alia orbis terrarum parte experientia docemur: *finis observationum omnium semper est — homo.* —

Quo maiore autem spatio morbos humanos observamus, et quo magis adspectum nostrum et praeteritis et praesentibus tribuimus, eo profundius et clarius conditiones morborum chirurgicorum quoad aetiologiam, diagnosin prognosin et therapiam contemplari licet. Quam multum historica chirurgorum morborum observatio prosit, ex pristinis temporibus iam constat, et medico tractanti quotidie praebet utilitatem.

Quis enim de maxima utilitate dubitet, quam studium observationum chirurgorum eruditorum ex pristinis temporibus praebet?

Omnino autem maximi est momenti observatio eorum morborum chirurgicorum, qui *endemiis caussis* producti, aut

singulis in locis et regionibus apparent, aut, quamvis apud nos, attamen singulis in pagis vel urbibus creberrime inveniuntur; nam ex singulis morbis chirurgicis nunquam tam certe atque clare diagnosis, prognosis et therapia nobis est statuenda, quam ex creberrime apparentibus. — Ceterum omnino utilitatem, quam *observatio morborum chirurgicorum endemiorum* nobis praebet, accurate definire non possumus, quod nescimus, utrum prius aut serius tales morbi ad nos transducantur, ut nostro saeculo ophthalmiae Egyptiacae exemplum habemus. —

Cutis morbos endemios duabus ex caussis non memorabo, primum, quod spatium dissertatiunculae non concedit, tum, quod a clarissimis viris maxima doctrina nobis tradita, permittit ut libenter de his abstraham.

Peto denique ex benevolo lectore, ut dissertatiunculam nostram modo specimen parvum declaret, nam hac in litterarum parte me tironem vires deficere, libenter mihi persuasum habeo.

Modo facta componere in animo fuit non quae ex iis concludi possunt.

I.

Ophthalmia.

Ophthalmia, cui plerumque amblyopia succedit, apud multos autem utriusque sexus in perfectam caecitatem degenerat, in Aegypto [1. 2. 3. 4]) in omnibus fere partibus Persiae [5]), India, China et Iaponia [6]), in Finmarchia (Finnland) et Carelia [7]), in regionibus quibusdam borealibus [8. 9. 10]), inter morbos solenniores atque vernaculos locum tenet eminentem.

In *Aegypto*, praesertim Cairi, toto anno numerosi lippientes cernuntur, et ineunte imprimis aestate morbus iste tam

---

1) Finke, Leonard Ludwig, Versuch einer allgem. mediz. prakt. Geographie Leipzig 1792—94. 3 Bände.

2) Volney, Reise nach Syrien und Egypten. Jena 1788.

3) Cartheuser, de morbis endemiis p. 78.

4) Schnurrer, Geograph. Nosologie od. die Lehre von den Veränderungen der Krankheiten in den verschiedenen Gegenden der Erde. Stuttgart 1815. S. 308.

La Décade Egyptienne, Journal littéraire et d'économie politique, au Kaire. An V. Vol. II. p. 159.

5) Finke (l. c.) B. I. p. 162.

6) Cartheuser p. 87. u. Finke (l. c. I, 180.).

7) Dalberg u. Martin (Vogel's Biblioth. Bd. 7. S. 190.)

8) Finke (l c.) B. II. p. 699. 745.

9) Cartheuser (l. c.) p. 85.

10) Schnurrer (l. c.) S. 307—8.

frequens evadit, ut in urbe memorata paucissimi ab eo plane sunt immunes, et *Volney* confirmat, his in regionibus, praesertim in inferiori Aegypti parte ophthalmias esse tam frequentes, ut Cairi inter centum homines viginti fere caeci, decem, qui unum oculum perdiderunt, et viginti alii lippientes inveniantur. Etiam non solum homines, sed etiam animalia domestica, canes, asini, equi ophthalmiis vexentur.

Decursus morbi.

Subito exoritur morbus, quamvis paululum antea bene valuerunt; dolor vehementissimus in quodam bulbi loco aut prope ad oculum ipsum plerumque in uno aut altero angulo. Si bulbus movetur, quasi arena sub palpebris sentitur; videndi facultas initio adaucta, vasa coiunnctivae sanguifera magis ac norma impleta atque maiora perspiciuntur et fere supra totum bulbum propagantur; puncta lacrimalia clausa et effluxus lacrimarum malas corrodit; dolor capitis, saepe delirium. Vesperi febris exacerbatio, mane remissio. Diebus paucis praeterlapsis, intumescentia oculi desinit, palpebrae iterum elevantur, sed materia albida puriformis bulbum oculi omnino contegit. Sequenti morbi decursu oculus purpureus videtur, et res externae quasi nebula involutae cernuntur. Decursus morbi plerumque octo dierum spatio, sed etiam inde usque ad mensem secundum perstat, qui autem fere semper acutus et definitus invenitur, nisi permulta externa medicamina sunt adhibita. — In plurimis casibus inflammatio conditione quadam gastrica [11]) est coniuncta. (lingua obtecta, dolor in abdomine . . .). — Fere semper simulcum diarrhoeis et dyssenteriis malum observatur. Oculus sinister plerumque primus corripitur, et tum, si aegrotus oculus in meliorem statum traductus, etiam alter afficitur. Hominibus cuiuscunque aetatis non

---

11) Savaresi Décad. Egypt. Vol. II. p. 159.

parcit morbus, imprimis autem adulti, plethorici, et qui crebro coelum mutant, afficiuntur; saepissime morbus fit recidivus.

Aetiologia morbi a diversis scriptoribus diversa habetur.

Secundum *Tott* [12]) et *Volney* [13]) caussa est occasionalis, quod homines per noctem sub divo somnum capiunt, tum, quod oris maritimis propius habitant, quia aëri his in locis salis partes inesse dicuntur.

Secundum *Bruant* [14. 15]): pulvis ardorque venti cuiusdam productus, quem indigenae Chamsin vocant; alii accusant alimenta. Nili fluminis diluviis hominibus obnoxia.

Cartheuser [16]), *Thomas Schaw* [17]) et *Richard Mead* [18]) cloacas Cairi accusant. — „Coniciiunt, narrant, omnes in eundem canalem omnia sordium genera, et tanta igitur horum ac mixti limi pinguis, post cessantem Nili eluvionem relicti, putredo, tantusque foetor oritur, ut aër inde qualitatem plane virulentam, quae ibi plurium aegritudinum caussa praecipua existit, sortiatur."

In *India, China et Iaponia* amblyopiam et amaurosin crebras esse aegritudines et multo saepius etiam illis, qui versus Amboinam, Bandam et insulas Moluccanas navigant, supervenire, scriptorum multi testantur.

Aetiologia. Multi tribuunt crebram hanc genesin vulgo orizae calidae esui, et inde crassis lentisque vaporibus evolutis. Alii, in his *Cartheuser*, non quidem reiiciunt caussam allegatam, quod sola autem oculorum morbis non sufficiat, credere non vult, quoniam Turcae ac quamplurimi reliqui populi orientales quotidieetiam oryza cocta, eaque modo calida

---

12) Biblioth. der Reisebeschreibungen Bd. 11. S. 106.

13) Volney (l. c.)

14) Decad. Egypti Vol. II. p. 55.

15) Schnurrer (l. c.) p. 311.

16) Carth. (l. c.) p. 80.

17) Reisen in verschiedene Theile der Barbarei u. Levante. p. 256.

18) Dissertatiò de peste. Cap. I. p. 23.

vescuntur, et nullam tamen querimoniam de coecorum frequentia gerunt. Ea de caussa accusat aëris vitium quoddam, tametsi nondum determinatum.

In insulis Melita et Minorca [19]) praeter intemperiem aëris valde pariter calidi et sicci, creberrimae etiam oculorum laesiones per radios solares et in plurimis locis a candida propemodum cretacea tellure et arena splendente allatae, inveniuntur. Igitur in insula Melita, aeque ac in Aegypto, longe plures, quam alibi, lippientes ac coeci homines reperiuntur.

Etiam in promontorio bonae spei [20]) tum indigenae tum Europaei toto anno ac sine aetatis discrimine, ex iisdem caussis supra dictis, lippitudine, cum continuo, nunc parciori tamen, nunc largiori, liquoris mordacissimi stillicidio ac vehementi dolore, cruciantur.

Ophthalmia populorum quorundam borealium Finnmarchia, Carelia, Lapponia etc., quoad naturam nonnihil differt et alias quoque caussas occasionales agnoscit. Secundum *Cartheuser* [21]), *Finke* [22]), *Pallas* et *Dalberg* [23]), *Cranz* [24]), *Scknurrer* [25]) partim lucis radii nive et glacie revoluti (nam mensibus Maii et Iunii morbus creberrime observatur) malum producunt. Minus autem fumum in tabernis accusare licet, quia mulieres, quae vulgo multo magis in tabernis versantur, hac inflammatione minus laborant.

Apud *Ostiacas (inter fluvios Ob et Jenisey)* secundum *Wagner* [26]) et *Brand* [27]) magis defectus ciborum vegetabilium

---

19) Linke (l. c.) Bd. I. p. 42.

20) Peter Kolbig (Beschreibung des afrikanischen Vorgebirges der guten Hoffnung) Bd. I. S. 342

21) l. c. 85.

22) l. c. Bd. II. p. 561. 617. 699. 744.

23) Nachrichten über Russland.

24) Geschichte von Grönland.

25) l. c. S. 307.

26) Wagners Schicksale. S. 224.

27) Brand, Reise nach China S. 81.

caussa dicitur; *itidem apud Kalmucos* [28], qui etiam multis oculi inflammationibus torquentur equorum lac iusto magis sumptum culpatur. — De morbi decursu et conditione ipsa in his regionibus non satis docemur, et modo parum de hac re scimus. Omnes autem scriptores in eo conveniunt, oculos rubros et lippientes cerni, et facile tandem staphylomata exoriri, quae a mulieribus facillime et quasi regula quadam artis forcipe parva detrahi dicuntur [29]. *Lappones* [30], ut malum avertant, umbraculo utuntur, in acme autem morbi cutem supra oculos incidunt et fonticulum ita conformant; etiam inungunt ad tollendam amblyopiam ac caecitatem avertendam palpebras oleo baccarum iuniperi vel bilem aquilarum oculis instillant.

Denique ophthalmiam contagiosam, *potissimum ad flumen, Rhenum inferius, nunc etiam endemie observatam* et a cl. *Philippo a Walther* [31] descriptam memorabo.

Initio modo haec symptomata: levis rubor marginum et internae palpebrarum superficiei, magna photophobia, secretio lacrimarum paulisper adaucta, sensus ardoris, signum autem pathognomonicum est, quod semper per longum tempus durat et tandem coniunctiva palpebrarum paullatim emollitur, granulosa apparet et quasi villis obtecta est; interdum parvae phlyctaenae in coniunctiva palpebrarum, quae apud homines scrophulosos in pustulas commutantur. — In substantia granulosa, quae paullatim ex interna palpebrarum superficie procrescit, plurimis locis sulci observantur, ita ut laevitas lubricitasque omnino evanescat. Denique coniunctiva palpebrarum paullatim commutatur in massam carnosam, sarcomatosam, interdum etiam condylomatosam, cuius superficies mucum largum, se-

---

28) Pallas (l. c.) S. 262.

29) P. Hoegstroem's Beschreibung des der Krone Schwedens gehörenden Lapplands. Cap. X. p. 180.

30) Cartheuser (l. c.) p. 86.

31) Iournal d. Chirungie und Augenheilkunde v. Graefe u. Walther. B. II. S. 36.

rosum caseosum secernit, qui spatium inter bulbum et palpebras omnino fere implet; venae coniunctivae palpebrarum sanguine turgescunt; mucus, quamquam adauctus, liquidus est, cum striis, puriformis aut puri similis; fere nunquam glandularum Meibomianarum secretio adaucta est. Proprium est huic morbo, quod mane, sopore discusso, margines palpebrarum vulgo non sunt colliti, nec unquam erosiones vel ulcuscula formentur.

a Walther auctore, morbus est contagiosus et caussam habet in conditionibus aëris nobis adhuc ignotis.

Cura.

Sanguinis detractiones, item arteriotomia fere semper erant sine bono eventu; maximum autem curationi frofuit excisio partis coniunctivae aut bulbi aut palpebrarum, primordiis morbi fomenta aquae frigidae utilia, calida semper noxia; purgantia ex mercurio dulci et Ialapa laudantur; diaphoretica fere semper curae obstant; acidum hydrocyanicum in formula sequenti saepissime profuit.

℞. Aquae destill. ℥VI.
acid. Boruss. Vauquel. gtt VIII—XVI.
S. bis per diem oculum lavandum.

Adstringentia tonica non multum valuere.

Nyctalopia et Hemeralopia.

Nyctalopia videndi facultas nominatur, si aegroti die vel luce clara vel obnebulata aut nil aut omnino indistincte, nocte autem bene cernunt. — Quamquam nonnulli scriptores negant talem videndi conditionem, attamen non solum invenitur, sed etiam in quibusdam regionibus endemia observata est. Concedamus quidem, plerumque modo symptoma aliorum morborum observari; interdam autem, aliis accessionibus aegrotis non praeterlapsis, subito exoritur.

Endemia autem conditio illa observatur et est observata

in Brasilia [32]), insula Amboina [33]), Banda [34]) et insulis Moluccanis [35]), in Barbados [36]), Siam [37]) insula Belle Isle [38. 39]) et nonnullis Poloniae [40]) regionibus.

In *Brasilia* (teste Guillelmo Pisone) non tantum durae ac vehementes lippitudines admodum frequentes sunt, sed advenae etiam, Europaei aestate sicciori ac plenilunii imprimis tempore nyctalopia et hemeralopia crebro corripiuntur, et alii, sole occidente, insolitam visus obscurationem sentiunt, alii ex adverso, redeunte tempore matutino de simili oculorum caligine, per totum diem ad vesperam usque perdurante, conqueruntur. Interdum citius haec vitia visus transeunt ac sponte cessant, interdum ad aliquot hebdomades et menses protrahuntur, immo nonnunquam, si pertinax capitis dolor accedat et medela negligatur, in amaurosin aut cataractam abeunt. — *Piso* loco citato, duplex malum esse, dicit; alterum nempe internum, alterum externum. Internum appellat, si oculi clari sunt, nec quicquam abnormale in illis cernitur, externum vero, quoties nubeculae opacae superveniunt.

Aetialogia. Humores impuri viscidique; cibi saliti corrupti, potus aquarum stagnantium, aestus aëris intolerabilis, laesio oculorum per ardentissimos radios solis reflexos, potissimum suppressio sudoris nocturna, qua re pauperes, qui noctu, parum vestibus contecti, sub Iove recubare solent, memoratas visus laesiones potissimum experiantur.

---

32) Piso (l. c.) Lib. II. Cap. 3. p. 30.

33) Cartheuser (l. c.) p. 80.

34) Schnurrer (l. c.) p. 316.

35) Hillary, Beobachtungen über die Veränderungen der Luft auf Barbados. Leipzig 1776. S. 352.

36) Hillary (l. c.) p. 359.

37) Rochard's (mediz. Geographie von Belle-Isle im Journal de médecin, chirur. . . . .)

38) Richter's chirurg. Biblioth. 2. Bd. S. 85.

39) Herrmann, primit. phys.-med. Polon. Vol I. p. 236.

In insulis Amboina, Banda et Moluccanis nyctalopiam morbum esse usitatissimum qui originem ducit ex solis radiis nimis splendentibus, *Hallerus* [41]) quoque confirmat.

Quod autem attinet nyctalopiam in *Polonia* observatam Hermann loco citato talia refert. In pago Popovo circa finem Iulii mensis, calore solis existente maximo, permulti rustici homines utriusque sexus et cuiusvis aetatis, qui greges pascebant, agrum colebant, uno verbo, qui sub dio versabantur, usque ad quartam vel quintam pomeridianam bene ac accurate videbant, postea autem visum confundi et imminui percipiebant, subsequuta caecitate, ita, ut si non statim peterent domum, sine alterius auxilio vix viam invenire valerent. Duravit hoc per totam noctem evanuit autem post somnum cum plenaria visus restitutione. — Etiam hic aeteologia eundem habet fontem, quem supra memoravimus.

Methodus medendi apud Brasilianos plerosque etiam Europaeos, ibi viventes, est eadem; partim meliori regimine diaetetico, partim medicaminibus aliisque auxiliis externis et internis tollere morbum consueverunt.

Primum, interdictis alimentis corruptis, esculenta et potulenta recentia commendant, simulque nimium aestum vitare iubent.

Utuntur quoque pro arnica, quae apud nos tali casu bono cum eventu adhibetur radice Guabiraba et succo radicis Manihoc (*Piso* l. c. Caq. 47. p. 215.) Adnotandum autem est, remedium, quasi contra hunc morbum empirice dictum, in Europa itidem ac in Brasilia et Hindostania usum *hepatis* desiderare [42]). Anus quaedam secundum illos tauri hepate sanasse dicitur morbum, et indigenae et Europaei iecur Lamii piscis inter remedia nyctalopiae specifica referunt. — In *India* [43])

---

40) Anfangsgründe der Physiol. Bd. 5. S. 985.

41) Bergen et Weiss, disputatio de nyctalopia seu coecitate nocturna.

42) Schnurrer (l. c.) p. 316.

solis ope liquefactum huius hepatis oleum in oculos instillant. *Chinesi* secundum *Hallerum* [43]) hepatem ovis omnino nigrae, folio Nelumbo involutum et nitro depurato conspersum, coquunt et vapore oculos stimulant.

II.

Cancer.

A) Cancer carminariorum, cancer scroti (Schornsteinfegerkrebs).

Percival Pott primus morbum descripsit. *Finke* [1]) his verbis de illo commemorat, „mirandum est, quod cancer scroti caminarii in Anglia tam crebro laborent.“ —

Autenrieth [2]): etsi cancer in Scotia et Anglia, praesertim inter pauperes, omnino maxime observatur, cancer scroti his in terris singularis invenitur, et pulveris carbonis bituminosi, scroti plicas semper impregnantis, perpetuum irritamentum accusat. Etsi, ait, interdum alii homines hoc morbo afficiuntur, attamen semper tales sunt, qui multum hoc negotio (nempe carbones colligendi et transportandi) versantur.

Selle [3]) narrat, in Anglia carminarios ulceribus scroti malignis affici, quod malum a scriptoribus cancer scroti, ab indigenis autem fuligine exortae verrucae nominantur.

Decursus morbi.

Plerumque malum ab inferiore scroti parte originem ducit et quidem initio verruca parva et duriuscula cernitur. In

---

43) Haller's Streitschriften übersetzt von Krell Bd. I. S. 338.

1) l. c. Bd. II. S. 275.

2) H. F. Autenrieth, Uebersicht über die Volkskrankheiten in Grossbritanien.

3) Christian Gottlieb, medicina clinica, Berlin 1788.

caminis adscendendo et descendendo et carbonis fumo perpetuo irritata, dolorifica fit verruca, inflammata et denique suppurata. — In partibus adiacentibus mox plures verrucae eiusdem generis exoriuntur, quae brevi tempore in unam magnam planitiem confluunt. — Nunc dolor fulminans, pungens. Hoc stadio morbus modo localis est, ita ut cutis aegrotans elevari possit; mox autem, potissimum cura atque munditie neglecta et medicaminibus irritantibus adhibitis, dolor localis valde adaugetur, sanies secernitur, facile sanguinat, ulcus, et in circuitum et in profundum crescit; demum autem testiculus ipse corripitur, intumescit, induratur, fit sarcomatosus et cancrosus. — Serius etiam funiculus spermaticus afficitur, morbus ad partes abdominis internas transit, ubi gangraena et fere semper mors adducitur.

Aetiologia.

Secundum *Ammon* [4]) conditio scroti cancri in diathesi tuberculosa est ponenda; qui enim hoc in negotio versantur, fere semper sunt scrophulosi. *Otto* [5]) morbum ulcus declarat, fuliginis fumo et munditie neglecta, malignum redditum.

Ex duabus autem opinionibus constat, mali conditionem adhuc in tenebris esse. —

Consilium. Exstirpatio, quando morbus localis, non autem, si constitutionalis factus. Initio cura antiscrophulosa aptissima dicitur. Mercurius autem in peius semper duxit malum. —

B) Cancer aquaticus.

In urbe Campen [6]) nominata, prope Amstelodamum, cancer aquaticus tam crebro observatur, ut inter morbos ende-

---

4) Rust Handbuch Bd. III. S. 490.
5) Lehrbuch der pathol. Anatomie. Bd. I. S. 72.
6) Finke (l. c.) Bd. II. S. 339.

mios numerari possit. *Du Pui*, medicus ibi multum versatus, solus centum et plures aegrotos hoc morbo tractavit. Num diathesis scorbutica caussa occasionalis semper sit, *Finke* distincte quidem non affirmat.

C) Cancer uteri.

Cancer uteri in *Lima* [7. 8]) saepissime tam subito et tam vehemens observatur, ut illi contagiosa diathesis tribuatur, et ita quidem, ut, si mulier ea sella utitur, in qua morbo iam affecta alia sederat, statim morbo corripi dicatur.

D) Bay-Sore, verus cancer,

qui *in Hondurasbay* endemius invenitur, crebro *etiam ad ripas fluvii Musquito* [9]). —

Omnes et facici et trunci et artuum partes morbo corripi possunt. Cum corporis diathesi constitutionali incolarum neutiquam malum congruere videtur, qua ex caussa res externae caussae dicuntur.

Medendi ratio secundum Moseley omnino est simplex, sed dolorifica, et experientia illius semper bono cum eventu. —

Emplastrum diachyli cum gummis corio illitum magnitudine cancri, conspersum drachma Sublimati corrosivi per horas quadraginta octo in ipsum cancrum applicetur; si autem hoc temporis spatio nil est effectum, diutius remaneat emplastrum.

Tum removeatur et cataplasma ex pane albo cum lacte paratum, cui aliquid olei olivarum immixtum, imponatur, quod cataplasma tam diu renovandum est, quo usque cancer radicitus extrusus erit. Nunc vulnus, ut ulcus simplex curatur, post-

---

7) Ulloa, Sammlung aller Reisen. 9r Bd. S. 424.

8) Beniamin Moseley, Abhandluug von den Krankheiten zwischen den Wendekreisen und dem Klima in Westindien. Leipzig 1790. S. 435.

9) Moseley (l c.) p. 435.

quam antea purgans ex mercurio dulci porrectum est. Forma cancri, quaecunque sit, dicit Moseley, et quotcunque ramificationibus, semper tota pars morbosa et solvitur et detruditur, et cavum ulceris omnino nullas morbosas reliquias praebet. — (Utinam in clinico nostro etiam ita cancrum verum curemus!)

III.

Gangraena ani, proctalgia. [1. 2. 3. 4])

Gangraena ani, proctalgia seu dolor ani, plures quidem species, indole atque origine magis minusve distinctas, sub se comprehendit, inter illas tamen hoc loco ista tantum uberius pertractanda est, quae in Brasilia aliisque fervidis Africae et Americae regionibus endemia est. In Peru, potissimum in regionibus urbium Quito et Limae, in ora aurifera (Goldküste) saepissime invenitur. Aestivo imprimis tempore hic morbus in regionibus memoratis tam indigenas quam advenas corripit et secundum Pisonis [5]) aliorumque descriptionem nil aliud est quam ani incendium cum ulcere depascente vel sine vel cum fluxu sanguinis dolorifico. — Interdum neglectam aut male curatam dyssenteriam sequitur, interdum etiam sine praevio hoc fluxu ingruit. In casu priori plerumque cum molestissimo ani pruritu incipit; huic postea vehemens dolor constringens cum tanta alvi obstructione succedit, ut excrementa indurata vel plane non vel aegerrime tantum et cum maximo cruciatu egerantur, unde vigiliae, lassitudo corporis, inflammatio intestini recti et tandem, tempestiva curatione neglecta,

---

1) Sauvage.
2) Cartheuser (l. c.) p. 162.
3) Finke (l. c.) I. S. 409.
4) Schnurrer (l. c.) p 340.
5) In histor. Brasil. Lib. II. Cap. XIV. p. 41.

ulcus depascens ac saepe, praesertim in Brasilia, vermibus scatens oriuntur. (In aestuosissima hac regione secundum Pisonem (l. c.) non solum in ulcere ani, sed in omnibus fere ulceribus vermes generantur, immo creberrime etiam post mortem in ventriculo, intestinis, vesicula fellea, utero, quin in ipso corde, reperiuntur, et apud homines vivos occultae variarum aegritudinum caussae existunt. —) In casu posteriori pruritum, constipationem, tenesmum, inflammationem et exulcerationem ani, corporis lassitudo, insomnia, dolor capitis, languor appetitus, aestus universi corporis insolitus cum pulsu celeri et inaequali antecedunt et comitantur. — Anus, quod notatu dignissimum est, nonnunquam adeo diducitur, ut ostium eius livida colore squalens, cloacae instar late hiet (Antonius Zuchelli [6]) hunc ani hiatum tam ample esse refert, ut tota propemodum manus immitti queat) sanguis persaepe, materia ulcerosa et interdum etiam vermes inde excernantur. —

Foeda haec aegritudo cito plerumque invalescit ac saepe, nisi nimium incrementum matura prophylaxi impediatur, lethifera evadit. Nam facile, procrastinata medela necessaria, inflammatio altius serpit, accedit gangraena et huic confestim superveniens sphacelus patientem necat.

Aetiologia.

Caussa praecipua ad ingentem et fere continuam aëris aestum redit, tum autem malum tempore plerumque exoritur, quo febres putridae observantur, interdum etiam, ut iam dixi ex dyssenteria sequitur, si alvi depositio subito cessat.

Consilium. Initio morbi, et ulcere adhuc absente, refrigerantia maxime prosunt, et interdum quoque, viribus nempe aegri nondum deiectis, venaesectio utilis est, vel huius loco

---

6) Reise nach Kongo. S. 58.

7) Ephemerid. Acad. Ann. IV. et V. Obs. 173. p. 221.

cucurbitae; externe autem frequentes ani lotiones cum aqua tepida aut frigidiuscula, succo limoniorum immixto, vel pomi citri inunctiones valde utiles reperiuntur. (Usum pomi citri in hoc morbo egregium esse Iacobus Lachmund [7]) confirmat.) Sumebant citrinum pomum, quod in sex vel octo partes dissecabant; ex his partem quandam instar suppositorii in intestinum inserebant, et hoc saepe iterabant: hoc modo statim magnus dolor sedebatur. —

IV.

Ulcera.

Secundum *Finke* [1. 2. 3]) *ulcera cuiusque generis in media parte Russiae,* quae Europae tribuitur inter gradum 55—65, *potissimum in Ingermannia* creberrima observantur, praesertim inter homines nobiliores, quod magnum his in terris frigus illos inter parietes per novem anni menses remanere cogit, quodque ab omni sub coelo motione se abstinent; porro abusus spiritus vini et inter nobiles et inter pauperes. —

Auctore *Steller* et *Kraschennikow* [4. 5]) tumor quidam ibi endemius invenitur, qui mox in ulcus pollices duas aut tres latum mutari solet. Ulcera talia usque quadraginta aut quinquaginta sinus sub cute et profundius parant. Ut suppurationem maturent, latus corii leporini scabrum supponunt. —

---

1) l. c. Bd. II. S. 628.
2) Green's: Nachrichten.
3) Auserlesene Abhandlungen für prakt. Aerzte Bd. II.
4) Beschreibung von Kamtschatka.
5) Finke l. c. Bd. II. S. 660.

Ulcera impetiginosa.

Auctore *Robert Jakson* 6) ulcera impetiginosa valde tenacia *in Hindostania* morbus frequentissimus et apud Europaeos, qui in patria iam his ulceribus erant affecti, et in illam terram migrant, celerrime propagantur ulcera et plurimum sanari non possunt. Adnotandum est, his in locis, ubi febres intermittentes (quae etiam ibi endemic observantur) autumno frequentes inveniuntur, ulcera impetiginosa omnino rarius observari, crebrius autem, admirandum quidem, in altis siccisque regionibus et prope mare sitis. In St. Domingo, ubi febres intermittentes rarissimae, fere quinta incolarum pars ulceribus phagadaenicis cruciatur.

Decursus morbi. (secund. Jakson l. c.)

Qui prius bona valetudine gaudebantur, primum, postquam per annum hac in terra sunt morati, his pedis ulceribus afficiuntur; apud eos autem, qui iam prius hisce laborarint, ipsa celerrime in peius ruunt et fere non sunt sananda. — Initio pustula parva conspicitur, quae irritata paullulum seri emittit; tum inflammatio sequitur colore cutis subrubro in circumferentiam longe propagata, quae in saniosum ulcus atque callosum transit; saepius periosteum corripitur et haemorrhagiae exoriuntur. Interdum decursus morbi tam rapidus est, ut paucis diebus tibiae maior pars in gangraenam transeat et detrudatur. Si autem amputationis ope sanare studeres gangraenam, partibus adiacentibus ulcera ex novo orirentur, ita ut aegrotus miserrimus paucis diebus novam partem gangraenosam conspiciat. — *Gillespie* 7), morbum tempore plenilunii et novilunii perspicue in peius rui, confirmat.

---

6) Geschichte u. Heilart der endemisch. Fieber; aus dem Englischen Stuttgart 1805.

7) Auserlesene Abhandlungen für prakt. Aerzte. 12r Bd. S. 156.

Consilium. Medicamina antiseptica, adstringentia adhibentur. *Gillespie* valde laudat *Kino* in vino rubro solutum; succum citri in toto ulceris circuitu; in Brasilia balsamus copaivae applicatur; postea autem fomenta ex liquore cupri ammoniato-muriatici. —

Mentionem adhuc facere possem morborum, nomine Yaws, Pians, Framboesia, Radesyge, quorum priores in Hindostania Radesyge autem in Norvegia endemia observantur, sed omnes magis exanthematibus adnumerantur et fere omnes modo leprae species sunt. Ulcera scorbutica etiam hic tractanda non sunt, quia originem ex scorbuto, morbo non chirurgico, ducunt.

Ulcera vermibus producta.

1) *Vena medinensis* [1. 2. 3. 4]

Vena medinensis, *nervus medinenses*, *gordius medinensis,* (Guinea Worm Anglicanum) est vermis, qui in omnibus quidem aestuosis, arenosis, sterilibus, torridisque Asiae, Africae et Americae regionibus, quarum incolae propter magnam aquae dulcis penuriam, aquam fluvialem ac palustrem, in qua vermis praecipue hospitari solet, bibere et corpora lavare coguntur, sub hominum cute reperitur; in Arabia autem circa oppidum Medinam, in Aegypto itemque Aethiopia, insula Ormuz, ad oram sinus Persici occidentalis, nec minus in Guiana, Guinea, Nigritia, Hindostania, in Europa inter fluvios Irtisch et Obi indigenas Europaeosque excruciat. Vermis est lumbricus cutaneus, coloris pallidi, tener, teres, nunc crassior, nunc gracilior, ac modo unum, modo duos usque ad sex,

1) Cartheuser (l. c.) p. 207.
2) Schnurrer (l. c.) S. 481.
3) Finke (l. c.) Bd. I. S. 336. 351 490. 516. 716. 722. Bd. II. S. 516 571. 606.
4) Rust's Handbuch.

quin plures nonnunquam pedes longitudine crescens. Rostellum habet album, pellucidum, pili instar tenuissimi et adeo teneri, ut, dum e cute prodit, visum chirurgi effugiat. Saepe vermem vivum e cute aegrorum extrahere contingit, qui motu spontaneo vitam plane prodebat et in frigidam aquam immissus, sese valde huc illuc curvabat.

Nulla pars corporis humani externa, si faciem et collum exceperis, a verme plane immunis existit, frequentissime tamen in cruribus, praesertim a genibus ad imum usque pedem, nec minus in malleo externo et interno, rarius in brachiis, manibus, coxa, lumbis, femoribus, sub patella, in (genuum) poplite, in plantis pedum et scroto procreatur. Variant quoque numerus et situs eorum: interdum modo unus adest, interdum autem plures in diversis corporis locis sub cute in tela cellulosa hospitantur. Differentia situs adhuc maior est, dum vermis hic modo per telam cellulosam in longitudinem extensus, supra musculos convolutus seu in gyros rotatus, modo musculorum interstitiis impactus, modo immo ligamentis artuum implicatus, distractus est.

Decursus morbi.

Quam diu vermis quietus sub cute delitescit, praeter dolorem in loco proximo nulla alia incommoda affert; quumprimum autem lente progrediens, illa pars, cuius cutem rostello perforare incipit, cum levi rubore erysipelatode aliquid intumescit. In hoc tumore pustula, pisi magnitudine, tenera aquosa, pellucida oritur, ex qua post unum alterumve diem, sponte rupta aut acumine aperta, vermis rostellum primum exit, quod sensim postea, blanda quotidie attractione, caput totumque corpus reliquum subsequitur. Subinde, nec rubor partis nec tumor praecedit, sed in loco, in quo sibi viam parat, praevio tantum dolore statim ulcusculum nascitur.

Aetiologia. Originem et generationem venae medinensis scriptorum medicorum quam plurimi potui aquae, magis mi-

nusve corruptae ac valde dudum vermibus vivis aut eorum ovulis refertae (nil animal, nisi ex ovo) tribuunt; sed *Cartheuser*, *Schnurrer*, *Finke*, quod etiam multo probabilius videtur, hosce potius vermes extrinsecus sese in corpus insinuare, quando homines nuda corpora ad nimium aestum temperandum, vel etiam, sicuti istud apud Muhamedanos, ex caussis religiosis, in aqua lavant.

Curatio, qua supra dictarum regionum incolae utuntur, ad sequentia redit.

Primum tumor rubens ac duriusculus, applicato cataplasmate aut emplastro emolliente maturatur, ut vermis inhaerens suppuratione sensim proliciatur deinde portio prominens, lenissimam attractionem sequens, circa lignum tenue atque rotundum caute rotatur, et imposito cataplasmate retinetur, ne iterum intus recedat. Ulcus quotidie a pure suo liberatur et blanda semper providaque vermis attractio ac rotatio circa lignum iteratur, donec totus hac ratione eductus sit. (Feminae indigenarum ante omnes optime valent vermem hac ratione extrahere.) [5]).

Verme perfecte tandem extracto ulcus fistulosum facillime intra paucos dies sanatur.

2) *Pulex penetrans (Linnaei), Americanis Chiquc vel Tschikes dicta* [6, 7, 8]).

Parvum animalculum est et incolis, praesertim Nigritis pauperibusque, nudis pedibus plerumque incedentibus, valde infestum. Quae insectae in Mexico, praesertim in regione circa urbem Vera-Cruz et in Surinamensi frequentissimae sunt. In omnes corporis partes sese insinuat, frequentius tamen pedes aggreditur, ac saepe sub ipsis digitorum unguibus latet.

---

5) Finke (l. c) Bd. I p. 92.
6) Cartheuser (l. c.) p. 221.
7) Schnurrer (l. c.) p. 491.
8) Finke Bd. I. p. 692. 409. 429.

Post introitum initio solummodo titillationem, eamque non iniucundum excitat dum autem, cute perforata, valde molestus pruritus oritur. Intra tres quatuorve dies, vel etiam tardius, ad pisi magnitudinem increscit, et si ita aliquamdiu relinquitur, pars obsessa eroditur et exulceratur, quae ulcera tam phagedaenica fiunt, ut pedes excarnes et ossa nuda videantur.

Cura.

Si adhuc parva simulque pauca sunt, cultri acuti ope facile eruuntur, et nata ulcera, tabaci combusti cinere conspersa, sanescunt; sin numerosiora existant et insigniorem magnitudinem acquisiverint, convenit partem mulctatam linteo, quod oleo picis intinctum fuit, involvere, quoniam insectae cito separantur et aeger adhibito postmodum pediluvio, itidem ab hoc malo liberatur.

3) *Wollosez* [9. 10. 11. 12. 13].

In regione circa urbem Nertschinsk hic vermis ita nominatur *Gmelin* talem vidit, qui sex digitos longus et crinis instar tenuis erat; veresimile erat *Gordius*, quamquam *Gmelinus* eum in hirudinum speciem refert. Vermes in aqua vivunt, se extendunt et annulosam praebent formam, in caput versus tenuiores sunt; color est alboflavescens, stria habent fusca in tergo, os ut in hirudinibus. Secundum *Pallas* frequenter invenitur in lacu Waldai in Russia sito, clarus autem *Weikard* [13]) eum vidit in ipsis canalibus urbis Petropolis et in flumine Newa.

Si corpus humanum laedit, ulcus oritur, cuius pus in

---

9) Finke (l. c.) Bd. I. p. 514. 16.

10) Schnurrer (l. c.) p. 491.

11) Gmelin, Reise nach Kamtschatka (Sammlung aller Reisen 19. Bd. S. 212.).

12) Pallas (l. c.) p. 95.

13) Weikard (mediz. Fragmente.).

vermes mutatur, ut supra dictum, criniformes. Ex vulgari opinione in aqua, ubi homines corpora lavant, in cutem serpunt, quo primum tumor cum vehementi dolore et deinde ulcus oritur, ex quo omnes vermes emovendi sunt, si sanari debet. Si non autem emoventur, ulcera periculosa gignunt, quae ut cancer in profundum propagantur.

Aetiologia. Forsan non nisi scorbuti symptoma, quod autem *Schnurrer* l. c. non concedit.

Cura.

Mane et vespere affectus balneum sumat cum herba potentillae anserinae; quod autem vermes e cute remoti sunt, eo cognoscitur, ut tumor non amplius doleat.

4) *Furia infernalis* [14].

Est vermis incarnatus aut ex albo-flavescens, pollicem dimidium longus et crinis instar tenuis, ubique eadem latitudine, utroque latere spinis armatus, quae in duplici serie prominent. Patria est Bothnia occidentalis et orientalis, Lapponia, praesertim in regione circa urbem Torneam. Vermis praesertim vere et aestate in corporis partibus aëri expositis, cutem perforat, ut in manus, brachia et in colli integumenta. Ubi intravit, macula fit parva nigrescens, quae magnum caussat pruritum vehementemque dolorem; in circuitu maculae areola rubra. Paulo post vehementissima sequitur febris cum syncope et delirio, ita ut paucis diebus post, etiam aliquot horis mors sequi possit. Febris si etiam vincitur, tamen ulcus impurum et malignum remanet, quod multos per annos durat et tandem corpus emaciat.

Cura.

Finni caute eum extrahere student, ne rescindatur, aut

---

14) Murray (mediz. prakt. Bilioth. Bd. I. S. 462.).

cultro acuto eum exsecant, quod etiam interdum effici potest oleo betulae infuso aut cucurbitulis.

V.

Herniae.

Auctore *F. Hoffmann* [1]) herniae in Egypto creberrimae, in moscheis multo canendo et exclamando, potissimum autem balneis tepidis nimis adhibitis, et secundum *Volney* [2]) abusu ciborum multum oleum continentium.

Secundum *Sulzer* [3]) in Helvetia et Sabaudia herniae vuglo inveniri solent. *Blumenbach* [4]) et *Sulzer* auctoribus, quod nimis et quotidie cibis ex lacte et farina paratis vescuntur. Narrant: „Der Sennen Fleisch ist alter Käse, ihr Brod junger Käse, ihr Getränk Wacke.“

Secundum *Weikard* in regionibus prope flumen Fuldam herniae etiam creberrime observantur, et caussam accusat usum aceti nimium, brassicae salitae, lactis coagulati atque ciborum nimis solidum, parum autem carnis continentium.

In Luneburgiensi (in comitatu „*Diepholz*“ atque locis prope urbem Bremen secundum *Richter* [5]) herniae sunt endemiae. Caussae dicuntur aër humidus, abusus potus tepidi, ciborum solidorum et pinguedinem multam continentium, omnino nimia ciborum cupido. Iam infantes cibis implentur, qui assimilari non possunt: exempli gratia, arvina liquefacta *tepide* sumitur.

Secundum *Blumenbach* [6]) in Nigritiis herniae inquinales

---

1) Disputatio de peregrinationibus instituendis sanitatis caussa.

2) Finke (l. c.) Bd. I. p. 298.

3) Voyage en Syrie et en Egypte.

4) De morbis quibusdam Helvet. endem.

5) Mediz. Biblioth. 2. Bd. 4. Stück.

6) Chir. Bibliothek. Bd. 1. p. 79.

et scrotales immensa magnitudine, saepissime observantur. Diathesis hereditaria adesse videtur, sed ante tricesimum aetatis annum non accidunt. Caussam refert abusum aromatum acrium, potissimum piperis hispanici (?), tum autem, quod permultum corpus inungunt oleo, butyro et aliis huiusmodi. — Etiam herniae umbilicales creberrime itidem inveniuntur et umbilicum ad partum male servatum caussam accusat.

Hydrocele [7, 8]

Oscheocele s. Hydrocele Malabarica. Morbus is in Malabaria, ubi Andrum, h. e. Hydroc. endemia, dicitur, non tantum multos indigenarum, sed saepe etiam hospites, si aliquot annos ibi commorati sunt, invadit, ac semper cum erysipelate scroti orditur; singulis postmodum mensibus morbo tempore novilunii recidivo; quo, post unum alterumve diem cessante, e vasis lymphaticis erosis sensim in cavum scroti liquor quidam serosus subsulsus confluit, qui in dies, luna praesertim crescente‘ scrotum adeo tandem distendit, ut immisso phlebotomo educendus sit. Liquor iste tenuis ac limpidus est, et interdum magis viscidus vel sanguinolentus. Sub coelo Malabarico nunquam morbus radicitus curatur, sed plerumque per totam hominis vitam durat; nequaquam tamen periculosus, nec assuetis valde molestus est, nisi testiculis laesionem inferat, et deinde, sicuti haud raro accidit, in hydrosarcocelen degenerat.

Aetiologia.

Populares potui aquae puteorum ac fontium quorundam, sale muriatico-corrosivo impraegnantis caussam tribuunt; *Kaempferus* [9] admittit quidem caussam hanc, solam tamen minime sufficere, sed noxias quoque humidae telluris exhala-

---

7) Sauvage, nosologia methodica. Tom. I. p. 169.

8) Cartheuser (l. c.) p. 179.

9) Amoenitates exoticae.

tiones, nec non ventum montanum ad mali productionem multum conferre existimat, nam nocet hic ventus non modo hominibus sub coelo libero commorantibus, sed ad conclavia pariter interiora penetrat, morbosque alios exasperat, quin saepe convulsiones excitat.

Cura.

Quam incolae instituunt, modo est palliativa et ita describitur, ut singulis mensibus, immisso phlebotomo e latere scroti alterutro ad imam partem aqua educatur.

Auctore *Blumenbach* [24]) in *Scotia* multo crebrius hydrocele observari dicitur, quam apud alias gentes et caussam accusat, quod membra inferiora more ipsorum vestimentis non contegunt.

VI.

Struma.

In variis regionibus montanis, in Transsylvania, Helvetia, Stiria, Sabaudia, Ducatu Pedemontano, Episcopatu Salisburgensi, Tridentino ac Comitatu Tyrolensi endemia est struma, praesertim carnosa, et in nonnullis earum tractibus tam sunt frequentes, ut inter pauperiores sortisque tenuioris inquillinos paucos videas, a foede hisce colli ornamentis plane immunes.

Causa partim ad aërem, partim ad cibos ac potulenta referenda est. Incolae enim, quas dixi, regionum, pauperiores cibis fere non digerendis, pane grossiori, leguminibus etc. etc. vescuntur, ac sitim vel sola aqua, in montibus aut circa radices eorum in vallibus scaturiente et materia terrea tophacea referta, restinguere coguntur.

---

24) L. c. Bd. 3. S. 413.

In *Francogallia provincia Auvergne* [1, 2]) struma etiam endemia est, et quod admirandum, non in vallibus, sed plerumque in montibus.

Causae: aqua, onera magna in capite portata, nutrimenta mala et digestioni inimica.

In regione *prope urbem Brückenau* [3]) struma item endemia invenitur, et onera in capite acclivis deportata caussa afferuntur.

Secundum *Gmelin* et *Pallas* [4]) in *Russia meridionali* iam apud infantes struma saepissime invenitur.

Causae: rivorum aqua, quae copiam magnam margae continet et potus glaciei liquefactae.

Sed etiam extra Europam quibusdam in regionibus strumam esse endemiam, statim videbimus.

1. Inter flumen *Lenam* et *Kirenzam* in Sibiria [5. 6]) struma non modo hereditaria esse videtur, immo observatum est, talia signa, quae aliter ibi febrem intermittentem indicant, evanescere, et modo strumae incipientis signa fuisse. —

2. Secundum *Saunder* [7]) radicibus montium in Tibeto et Butano meridionali strumae satis magnae observantur; sex inter homines certe unus hac deformitate laborare dicitur, sed multo saepius apud feminas et plurimum pubertatis tempore coeperunt.

3. Secundum *Carol. Miller* [8]) in regionibus montanis insularum Sumatrae et Iavae struma endemia et immo capitis magnitudine.

---

1) Finke (l. c.) Bd. II. p. 50

2) Le Grand' d'Aussi, Reise durch Auvergne.

3) Finke II. p. 378.

4) Nachrichten über Russland.

5) Schnurrer (l. c.) p. 246.

6) Sammlung aller Reisebeschreib. Bd 19 S. 255.

7) Mineralogische Reise nach Butan und Tibet

8) Nachrichten von Sumatra in Forsters und Sprengels Beiträgen zur Völkerkunde. S. 11.

4. Secundum *Lorenz Lange* 9) in montibus circa urbem *Pecking* ad mare Sinense versus struma etiam est endemia; iam prima aetate tumor ad unam aurem oritur et usque ad alteram extenditur.

Aetiologia (pro 1. 2. 3. 4.)

Ventus, illis in montibus flabellans, aqua nivis et ea, quae margam subtilem aut vitriolum, salia insolubilia et parum acidi carbonici continet.

Denique cretinos raro sine illa deformitate esse, non omnes autem cretinos strumis esse affectos, porro illis in regionibus, ubi creberrimae inveniuntur strumae, cretinos etiam adesse, multi scriptores affirmant, potissimum *Foderé* 10). Quare regiones modo enarrare liceat, ubi Cretinismus maxime observatur: Sabaudia, Wallisia, Pedemontium, Graubündten, creberrime in vallibus Aostae, in vicis Martinach, Sitten; in Salisburgensi, minus in urbe huiusque nominis, in vallibus circa urbes Hallein et Golling. —

VII.

Furunculus, Carbunculus, Anthrax tarantatus.

In provincia Persidis Kirmanensi 1) tempore aestivo propter fervorem aëris intensissimum et subinde, venefico videlicet vento, quem Persae, Arabes, Turcae, pluresque populi orientales Samiel vocant, praeter febres malignas atque citissime letiferos et exanthemata, axillas, femora, anum, ceterasque partes pudendas acri sanie excoriantia, creberrime etiam numerosi *furunculi* in corporis superficie extruduntur, qui

---

9) Tagebuch zweier Reisen von Kiachta nach Pecking; mitgetheilt von Pallas. Leipzig 1781. S. 43.

10) Essay sur le goitre et le crétinage. Turin 1792.

1) Cartheuser l. c. p. 189.

consuetis chirurgorum remediis magis exasperantur, ac sola patientia curandi sunt.

Eadem narrant *Lind* [2]), *Finke* [3]) et longam tempus ante illos etiam cl. *Kaempferus* [4]).

Furunculis in Persiae parte endemiis descriptis, malignam quandam *Carbunculi* speciem, quam *Sauvages* [5]), *Cartheuser* [6]), *Finke* [7]) et multo ante illos doctissimus *Borellus* et *Werlhofius* [8]), *anthracem tarantatum* vocant, addam. Carbunculus hic *in urbe Roquecourbe prope Castres in Languedoc* frequentissimus est et affectos semper interficit, nisi novem dies insomnes transigant. Ut somnus itaque per hoc tempus arceatur, cognati et amici apud aegrum conveniunt, ibidemque canunt et aegrum ad saltandum invitant. *Sauvage* (l. c.) dicit „tarantula demorsi pariter somnolenti sunt; inde fortasse mos apud ipsos invaluit, ut saltarent, somni fugandi gratia.“ *Borellus* dicit, morbum multum saltando ex internis corporis partibus in externas produci. —

Huc etiam est referendus carbunculus ille, qui sub nomine „*le charbon Provençal*“ (carbunculus Narbonnensis) notus et iam a *Plinio* [9]) memoratus est, et nunc etiam in Narbonnensi crebro invenitur. —

---

2) Jacob Lind's Versuch über die Krankheiten, denen Europäer in den heissen Klimaten unterworfen sind. Leipzig 1773.

3) l. c Bd. II. p. 345.

4) Amoenitates exotic. fascic. IV. p. 722.

5) Nosolog. method. Tom. II. P. I. p. 42.

6) l. c. p. 191.

7) l. c. Bd. II. p. 40.

8) Disquisitio de variolis et anthracibus. Hannov. 1735 p. 115.

9) Histor. naturae, edid. Miller. Berol. lib. 3. p. 24.

Tandem mihi nil restat, quam ut commemorem, me morborum endemiorum rationem amplius extendisse, et tales etiam morbos hic descripsisse, quorum caussae non solum sunt aëris, soli, aquae conditiones, sed etiam eos, qui hominum moribus, quotidiana consuetudine, laboribus in certis terrae locis et certis corporis partibus, orti sunt. Itaque sequitur, numerum talium morborum esse permagnum, qua de caussa non nisi eos, qui saepissime observantur, descripsi. —

VITA.

Ego *Augustus Joel*, Regimontanus Borussus, natus sum Idibus Maii MDCCCXV patre *Jacobo Joel*, quem adhuc inter vivos me posse pio animo venerari maxime habeo, et matre *Fanny* e gente *Perlbach*, iam ex quinque annis dira mihi morte abrepta. Fidei veteri adscriptus sum. Primum scholam uti dicunt, elementarem per sex annos, tum in gymnasio patrio, quod tunc temporis directore Dr. *Struve* florebat, per octo annos frequentavi. Testimonio maturatatis instructus, aestate anni MDCCCXXXVI a rectore t. t. magnifico *Drumann*, in civium academicorum numerum Universitatis Academiae Albertinae receptus nomen dedi apud decanum t. t. gratiosae facultatis medicae spectatissimum *L. Sachs*. Hasce praelectiones ibi audivi per duos annos: physicen experimentalem apud cl. *Moser;* chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam, pharmaciam apud cl. *Dulk*, zoologiam apud cl *Rathke*, botanicen universalem apud cl. *Meyer*. Logicen apud cl. *Taute*. Anatomiam generalem et physiologiam apud cl. *Burdach* sen.; anatomiam specialem apud cl. *Rathke* et *Burdach* iun.; encyclopaediam generalem apud cl. *Sachs*.

Anno MDCCCXXXVIII tempore paschali almam musarum sedem Rhenanam petii, ubi a rectore t. t. magnifico *Welcker* inter cives academicos receptus et a decano facultatis medicae spectatissimo *Harless* numero medicinae studiosorum adscriptus sum. Lectiones, quas ibi frequentavi, hae sunt:

Therapiam generalem, specialem, anthropologiam, de

educatione medici, de experientia et experimentis apud cl. *Nasse;* chirurgiam, anatomiam chirurgicam, de morbis oculorum, akiurgiam, de fasciis applicandis apud cl. *Wutzer*; artem obstetriciam, de morbis infantum, de instrumentis obstetriciis apud cl. *Kilian;* medicinam forensem, epizootias apud cl. *E. Bischoff;* psychologiam apud cl. *v. Calker;* mineralogiam apud cl. *Noeggerath;* pathologiam et therapiam generalem apud cl. *Harless;* pathologiam et therapiam specialem morborum acutor. apud cl. *Naumann*; materiam medicam apud cl. *Albers.*

Praeterea mihi duces fuere: cl. *Burdach* iun. et *Rathke* in secandis cadaveribus; cl. *Wutzer*; in operationibus in cadavere exercenda, in clinico et in policlinico chirurgico auscultanti per sex menses, practicanti per annum et dimidium; cl. *Kilian*; in exercitationibus ad phantoma instituendis, in clinico obstetricio auscultanti per dimidium annum, practicanti per annum; cl. *Nasse*; in clinico propraedeutico et per annum et dimidium in clinico et policlinico medico. — Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago et semper quantum potero habebo.

THESES.

I.

Inter morbos endemios non solum ii sunt referendi, qui caussam habent in aëris, loci et aquae conditionibus, sed etiam ii, qui hominum moribus, laboribus, quotidiana consuetudine certis terrae locis sunt orti.

II.

Trepanatio in uno casu est instituenda.

III.

Nulla deflorationis certa symptomata.

IV.

Morbos infantum facilius esse cognoscendos et curandos, quam adultorum.

V.

Opium sensilitatem non recta via diminuit.

VI.

Exanthematum cura secundum statum constitutionalem optima, secundum conditionem vitalem cutis bona, secundum formam externam pessima.

VII.

Religio medici scientiae eius praestat.